



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Svtrinv, Qvo Gregorivs VI. Seipsvm Pontificatv abdicavit, anno  
Domini MXLVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

nem denarii accepit. Post hæc sceleratos vrbe expulit, & sacrilegos rerum ecclesiasticarum inuasores, quos verbis & gladio spiritali non poterat, gladio militari ad restitutionem spoliū adegit. *Vvilielmus Malmesburius de gestis regum Anglorum.*

Gregorius  
quando &  
cur se pon-  
tificatu ab-  
dicauerit?

Qua de causa dum odium & inuidiam Romanorum ex furtis & rapinis viuentium incurrisset, crimine simoniæ & homicidii insimulatus venit ad Henricum regem Placentiæ degentem, ibique habito Concilio Sutрино cui ipse præfedit, nullo testimonio conuictus, nullave sententia iudicatus, ob pacem ecclesiæ conciliandam & schismatis periculum, quod iterum imminebat conflandum, imitatus Gregorium Nazianzenum sponte se abdicauit, anno Domini millesimo quadagesimosexto cum teste Leone Ostiensi sedisset annos duos & octo menses.

CONCILIVM SVTRINVM,

QVO GREGORIUS VI. SEIPSVM PONTIFICATV  
abdicauit, anno Domini M XLVI.

ANNO  
CHRISTI  
1046.

NOTA.

Acta Con-  
cilii.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] De rebus in hac Synodo gestis Hermannus huius temporis scriptor ista refert: *Coadunato exercitu Papiæ Synodum celebravit, inde Placentiam veniens Gratianum clarissimum, nempe Gregorium VI. quem expulsis prioribus Romani papam statuerant, ad se venientem honorifice suscepit, sicque cunctis prospere cedentibus, iuxta natalem Domini non longe ab vrbe Roma apud Sutriam Synodo item acta, causaque erroneorum pontificum diligentius ventilata, Gratianum papam conuictum baculo pastoralis priuauit; deinde omnium tam Romanorum, quam aliorum consensu Suidgerum episcopum, qui post Eberhardum primum secundus Bambergensem sexto iam anno regebat ecclesiam, nimium reluctantem summum Romanæ ecclesiæ elegit pontificem, sicque circa vigilias natalis Domini ipsam ingrediuntur urbem.* Hæc de rebus

An & quo-  
modo tres  
pseudopa-  
pæ schisma-  
tici in hac  
Synodo  
depositi?

in Concilio gestis Hermannus. Sed quod refertur in hac Synodo tres schismaticos pontifices depositos esse, non aliter intelligendum est, quam quod priuati fuerint illis retribus, quos cum illis transigens Gratianus ad quietem & vnionem ecclesiæ redimendam illis assignauerat. Et quorum gratia idem in hoc iudicio simoniæ accusatus, sed nequaquam conuictus fuerat. Illud vero quod ait, Gregorium in hoc Concilio Sutрино depositum fuisse, nequaquam sustineri potest.

ANNO  
CHRISTI  
1046.

Sicut etiam quod de electione successoris constitutum esse adiicitur. Scribit enim Leo Ostiensis, quod facta abdicatione Gregorii imperator exultans cum omnibus ipsius Concilii episcopis Romam venerit, & in ecclesia B. Petri apostoli congregato clero populoque Romano, quid Sutri gestum esset exposuerit, & de ordinando pontifice tractatum fuerit: & præterea quod post factam diligentem inquisitionem, cum nullus alius tanto munere & officio dignus inueniretur, electione omnium episcopus Bambergensis ecclesiæ ab Hamburgensi præsentatus, natione Saxo electus, eique nomen Clementis secundi impositum fuerit. Vide Baronium anno 1046. num. 12.

An Gregorius hic depositus?

VITA ET EPISTOLA  
CLEMENTIS PAPÆ II.

CLEMENS papa natione Germanus, huius nominis secundus, ante Suidgerus appellatus, post factam Gregorii sexti abdicationem, ex Bambergensi episcopo operastudioque Henrici regis, quasi tanto munere dignior nullus inueniretur, vnanimi consensu omnium creatus est pontifex Romæ in vigilia natiuitatis Domini anno 1046. Postero die natiuitatis Domini ex more consecratus, & nomine Clementis secundi appellatus, Henricum regem, eiusque coniugem, Agnetem imperiali benedictione sublimauit. Imperator Roma discedens Gregorium sextum quondam pontificem, ne quid ipso præsentem Romæ innovaretur, secum in Germaniam abduxit. Comitatus est eum Hildebrandus eius discipulus, sedis apostolicæ subdiaconus, postea vero Gregorius septimus. Cum eodem Roma profectus est Clemens, qui vltra montes, teste Leone Ostiensi, septimo Idus Octobris, nono mense a sua promotione ex hac vita migravit. Corpus eius Roma Bambergam translatum sepultum est Bambergæ. Quod cum Benedicto innotuisset, ille tertio sedem apostolicam inuasit, eamque vsque ad Damasi II. electionem per octo menses tenuit. *Leo Ostiensis.*

Clemens II. quando & a quibus pontifex electus?

Henricus coronatur.

Clementis obitus, & tempus sedis.